



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Willibaldus Ep. 7. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

7. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 429
due incumbes & sobrietati ; si mentem à
malis cogitationibus cohibebis ; si nullum
proferes vanum verbum si ad templum ac-
cedes frequenter ; si mortem & diem In-
dicti identidem recogitabis. S. Ephrem de-
vit. Spirit.

S. WILLIBALDUS EP. 7. Iulii.

ANIMÆ CÆLO NATÆ EHEU ! exilium ama-
mus , patriæ obliviscimur. At non
ita W I L L I B A L D U S è regiâ Anglorum
stirpe pulcherrimus flosculus. Vix enim
mundum seque adeò circumspexit , cùm
ilicò peregrinum agnoscit , ideoque exire
hinc quām ocyūs , nec solus voluit , sed
in laudatissimi facinoris societatem Cu-
nebaldum Fr. & Walpurgam sororem ,
quin Richardum etiam regem parentem
excivit. Si nescis , Pater , peregrini hīc
etiam reges sumus. Quin igitur is quò
SS. virorum per omnem orbem vestigia ,
atque adeò Christi te ducunt. Exi , ah ! exi
regno ! nisi exis , scilicet efferere. Ergo
purpura penulæ , sceptrum baculo , co-
rona galero cedit ; atque ita digna Re-
gibus Anglis expeditio Romam , inde
Hierosolymam adornatur. Ultimuna
ut hanc etiam suæ peregrinationem cru-
ces comitarentur , in illo itinère patrem ,
in hoc oculos amittit. Recepit tamen
hos ad urbem sanctam appulsus , vidit
que deinceps tam bene , ut excæcatis

tum

430 VITÆ SANCTORUM. 8. Iulii.
tum à Gentilitiâ superstitione; Germanis dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem quidem annis XXXVI. egregiè præstítit, & nobilem hodie Episcopatum Eystetensem condidit. Sed inter omnia ejus (quæ multa & immortalia) facinora, illud princeps est, parentem è regno secum ad Deum abduxisse. Eant nunc deliri se-
nes, quarantur ultimo ætatis admini-
culo orbari sese, ubi è mundo filius a-
bit. Abeundo WILLIBALDUS, an
non parenti scipio fuit? Ex Philippo
Eystet.

*Semper tibi despliceat quod es, si vis per-
venire ad id, quod nondum es; nam ubi tibi
placuisti, ibi remansisti Semper profice; noli
in viâ remanere; noli retro redire; noli de-
viare. S. August. serm. 5. de verb. Apost.*

S. PROCOPIUS M. 8. Iulii.

SAULUM aut SAULO simillimum Ne-
niam vides: quippe à Diocletiano A-
lexandriam missus, quò Christianos il-
lic exscinderet, & ipse Christum ob-
vium habuit, & quidem è cruce sibi lo-
quentum. Multum igitur se aberrasse
animadvertisens, aliam viam deinceps in-
gressus est, & fabreficeri sibi ex auro cru-
cem fecit illi geminam, quam nuper vi-
derat. Hæc signa vix intulit Agarenis,
cùm nobilem victoriam abstulit. Sed,
quod mirere, victori bellum alterum,
bel-